



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 261. Quid dicendum sit, si reus revocet aliquid in loco supplici.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**



1474 *Sequitur, si quis in ebrietate etiam voluntaria homicidium improvisum commiserit, Judicem posse ei non irrogare gravem poenam corporalem homicidio decretam, uti docent Clarus, Tholos. Vasq. Mol. de just. T. 3. d. 38.; potestque videri Gob. in Quin. T. 5. c. 20. f. 2., ubi hanc quaestionem bene tractat. Et quod in casu ebrietatis dictum est, valet in similibus.*

1475 *Q. 260. An condemnari possit, qui nequidem in tortura est fassus crimen. R. Negative, quia si de tali crimine certò constabat, antequam torqueretur, ergo malè tortus est, quia tortura est ad cognoscendam & non ad confirmandam veritatem: si non constabat, ergo nec jam constat: imò juxta communem cum Farinac. & Delrio l. 5. f. 9. omnia indicia & probationes sunt purgatæ per torturam, quia sicuti leges permittunt durum illud medium explorandæ veritatis, ita volunt eum credi innocentem, qui nequidem per torturam adductus est ad fatendum, ergo iniquum est reos subicere rigori legum, & vicissim non permittere ut gaudeant reciproco favore earum, Spe d. 39.*

1476 *Q. 261. Quid dicendum sit, si reus revocet aliquid in loco supplicii. R. Etsi revocatio non statim præsumenda sit vera, est tamen ejus habenda ratio, uti rectè Spe d. 40. contra Binsf. & Delrio, Ratio est I., quia nemo censerì debet velle cum mendacio mori, uti dicit etiam Gl. in Cap. litteras, de præsumpt. 2. Si antedictis credendum est, etiam hic credi potest, maximè si adsint circumstantiæ suadentes. 3. Judices denunciationibus morte confirmatis multùm tribuunt, ergo etiam aliquid tribuere debent huic revocationi. 4. Constit. crimina. Carolina Cap. 91. dicit, quamvis revocatio ipso die judicii videretur facta ad impediendum juris processum,*



sum, tamen ejus habendam rationem & ineundum consilium cum juris-peritis aliis. Si dicas, debuisse prius loqui. R. Si prius locuti fuissent, repetita fuisset tortura, præ qua voluerunt mortem. Tum autem maximè credendum est reo in loco supplicii, quando revocat denunciations aliorum antea factas, credendum enim est id facere eum urgente conscientia.

Q. 262. Quid præsumendum sit de illis, qui in carcere inveniuntur mortui. R. 1477.

§. I. Si cadaver Rei non confessi nec legitimè convicti reperitur in carcere, non ideo statim privari debet sepulturâ ecclesiasticâ, quia talis non sufficienter probatur esse malus aut à seipso vel dæmone occisus, ergo debet præsumi mortuus morte naturali, quia præsumendum est semper pro reo & pro innocentia. Multa sunt autem mortis naturalis argumenta, uti tortura, carcer, vincula, tristitia &c. *Et si non morte puniantur, inquit S. Aug. de civit. l. 19. c. 6. in ipsis vel ex ipsis plerumque tormentis moriuntur.* Quòd collum sit flexile in omnem partem, nil facit ad rem, nam hoc etiam sæpe est in aliis cadaveribus: quòd si solus lictor dicat inveniri hæc aut illa signa mortis violentæ, illi credi non debet, quia potest mentiri, ne judicetur in tortura excessisse vel ob alias causas, *Spe d. 41.*

§. II. Signa, quòd quis à seipso vel à dæmone sit occisus, sunt seqq., 1. si inveniatur in laqueo mortuus. 2. Si caput planè in tergus sit obtortum. 3. Si in gutture reperiantur lineamenta, quæ constet pridie non adfuisse. 4. Si prima colli vertebra ita emota sit è loco suo, ut retro emineat, *Spe d. 42.*

Q. 263. An Iudex, si advertat unum è litigantibus omittere aliquid, quo allegato evinceret, possit hoc illi suggerere. R. Possit, imò teneri facere 1478